


05

A

196





Q. D. B. V.

Ex

ETHICIS

De

BONIS S.B.

CONCOMITANTIBUS.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Præclarissimi ac Præeximii,

DN. M. JOHANNIS MICHAELIS

STRUBGENSIS

Amplis. Facultatis Philosophicæ Adjuncti longè meritissimi.

Præceptoris, Fautoris & Amici sui colendis,

Publicè disputabit

JOHANNES BERNARDUS

Dreldensis Misnicus.

A. & R.

In Auditorio Majori ad d.

Junii

Anno O. R. M. DC. LXI.



WITTEBERGÆ, TYPIS MATTHÆI
HENCKELII.

58

50



Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. Some faint words like "BONNIS" and "COMITATUS" are visible.




05 A 196





- A & Ω.



Um de Bonis S. B. Concomitantibus disputationē sim instituturus, magnis verborum ambagiōbus Ethicæ laudes & excellentiam extollere supervacaneum esse arbitror, cum aliās multa & innumera ferè extant apud authores Elogia atq; Encomia, quare rem ipsam potius aggrediar, & disputationem totam in tria dividam membra. Primum continebit Præceptum ejusq; explicationes, alterum, questiones, ultimum Axiomata, Deus annueceptis!

**Membrum I. Continens.
Præceptum & Explicationes.**

Præceptum.

Bona S. B. Concomitantia sunt, quæ per Accidens cum eo conjunguntur, quibus illud neque perficitur, neque augetur, sed tantum illustrius redditur, & magis appetibile efficitur.

§. I. Variæ apud Autores extant Boni divisiones. Est enim vel increatum, vel creatum, vel essenziale, vel Accidentale, vel Naturale, vel Honestum, vel Utile, vel Jucundum, Platoni Bona sunt vel Divina, vel Humana. Quæ duo Bonorum genera in quatuor distinguuntur gradus. In Morale, Physicum, Metaphysicum & Divinum. Tandem Bonum est vel apparenter, vel revera tale. Plura vid. apud Heid. Phil. Moral. p. 62. Joh. Micræl. Lexic. Phil. p. 220. Stoici negarunt Bonâ hæc Concomitantia esse revera talia, sed tantum apparenter, du-

Boni divi

*Piccol.
grad. 8. c.
3.*

Et potissimum hæc ratione, Bonum in sola virtute, & Malum in solo vitio consistere, reliqua nec bona nec mala per se, sed per accidens & denominatione tantum extrinseca talia dici, sive neutra & indifferentia. His ad stipulatur Cic. in Paradoxa I. inquit: Potest enim bonum cuiquam malo esse? Aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, ut etiam improbi habeant, & desint probis. Ad I. Respondeo. Licet Bonum primario spectatum in sola virtute, & malum principale in solo vitio consistat; Tamen & Bona fortunæ revera bona sunt, quia illa tanquam instrumenta subserviant virtuti, & nos ad ejus actiones idoneos reddunt. Quicquid autem nos ad actiones virtutum promptos & idoneos reddit, illud est revera Bonum. Atqui Bona Concomitantia reddunt nos &c. E. Major est manifesta. Minor probatur exinde. Si destitutus sum robore & divitiis, Fortitudinem & Magnificentiam exercere non possum, & sic porro. Ad 2. Respondeo distinguendo inter Usus & Abusum. Usus enim Bonorum per se est bonus, neutiquam verò abusus, qui tantum fit per Accidens & fortuito. Plures subjungit causas Hornei lib. I. c. 8. p. 101.

§. II. Dicuntur autem Bona hæc Concomitantia h. e. quod forinsecus tantum conjungantur neque essentiam S. B. consequantur. Seu felices quidem comitantur, felicitatem autem ipsam non constituunt.

§. III. Porro describuntur quod per Accidens cum S. B. conjungantur; i. e. quæ S. B. comitata separari ab eodem possunt. Et hæc ratione à S. B. immediatis distinguuntur effectibus, Illi enim cum S. B. quoque conjunguntur, non tamen per Accidens. Hinc ubi est S. B. ibi etiam est bona conscientia & honesta voluptas. Neutiquam verò ubi est S. B. ibi etiam Laus, Gloria, Honor &c. Nam hæc Bona Concomitantia, nec omni, nec soli felici, sed aliis etiam non felicibus competunt. Hinc à nonnullis communia & separabilia nominantur.

§. IV.

§. IV. Effectus horum bonorum describitur I. Negative, quod S. B. his bonis Concomitantibus non perficiatur neque augeatur. Excell. Dn. D. Wendeler. in Phil. Pract. p. 58. docet: Duo Si Bi. Epitheta potissimum esse observanda; 1. quod sit ultimum. 2. quod sit perfectissimum. Priori modo, omnia in se comprehendit bona, & non continetur ab alio; Posteriori nullam aliam admittit perfectionem, quia est perfectissimum uti dictum est, sed tantum constituent S. B. existentiam, neutiquam verò essentiam.

§. V. Postremò effectus describitur affirmativè, quod tantum illustrius reddant & magis appetibile efficiant. Hoc non fit intrinsecè, sed extrinsecè. Priori modo aliis mediis non opus habet S. B. Posteriori verò plebejo splendorem & ornamentum non videnti S. B. illustrius redditur & appetibilius. Plebeji enim externum splendorem & ornamentum felicitatis non videntes, dubitant, ejusmodi hominem habere S. B. imò divitem potius præferunt virtuoso. Si autem hæc Bona accedunt omnes hæc cessant habitationes.

§. VI. Quoad divisionem sunt vel Interna, vel Externa. Interna sunt, quæ in nobis S. B. possidentibus insunt, eorumque numerantur duo, quorum primum est vitæ ut libertas; quæ est facultas, qua facile & expeditè actiones virtutis omni loco & tempore, nec non in omne Objectum sine impedimento exercemus. Hic notanda esset differentia inter libertatem Philosophicè & Juridicè consideratam; sed ne falcem in alienam messem immittere videar, illa supersedeo. Hæc qui desiderat adeat B. Dn. D. Martini lib. 1. Eth. c. 7. Excellent. Dn. D. Wendeler. in Pract. Phil. lib. 1. sect. 1. c. 3. c. 110. Lieberth. Exercit. 3. Coll. Polit. quæst. 1. Uberius hæc de re differentes.

§. VII. Libertati opponuntur, Servitus & Captivitas maxima S. B. impedimenta. Qui enim servus est, non suo, sed potissimum alterius nutu virtutem exercet, & qui captivus, nec ubi vult, nec quando vult, virtutum actiones edere licet. In Genere autem definitur: quod sit affectio animi Subjecti, qui suo arbitrio caret. Estque vel Naturalis, vel Civilis.

Naturalis vocatur quando aliquis ex naturali imbecillitate ad imperandum ineptus est, de qua fusius agitur in Politicis. Civilis verò, qua aliquis Domino contra naturam subjicitur, de qua potissimum agunt J Cti.

§. VIII. Secundum est corporis, & dicitur sanitas seu bona valetudo, quæ omnium horum bonorum est fundamentum, sine qua nempe, nec libertate sua, nec divitiis nec dignitate quis uti frui potest. Keckerm. System. Eth. c. 29. Hinc Cic. opus est de corpora valere, si animo velis. Definatur autem, quod sit bona corporis constitutio in æquali temperamento omnium humorum & partium corporis consistens. Ad hanc si accedit apta membrorum compositio & coloris suavitas, oritur pulchritudo, quæ non oculos tantum movet & delectat, sed virtutis etiam actiones promovet, test. Virg. lib. 5. Æneid.

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

§. IX. Interna excipiunt bona externa, quæ iterum sunt duplicia, & consistunt vel in rebus, vel in personis. Illa sunt vel possessionis, ut divitiæ, quæ felici maximè sunt necessaria, quibus secundum virtutem externe sæpè operare non potest. Dispescuntur aliàs in naturales & artificiales; Naturales sunt, quibus primò & immediatè humanæ succurritur indigentia; ut cibus, potus, vestitus &c. Artificiales sunt, quæ non immediatè & primò; sed secundariò vitam juvant, ut: Pecuniæ, quæ liberalitati inserviunt. Non autem felici Salomonis aut Cræsi divitiis opus est, sed sufficit, si ejusmodi habeat facultates, quibus se sustentare, & virtutem exercere possit. Itter. Synops. Phil. Moral. l. 1. c. 2. pag. 30.

§. X. Vel dignitatis. Dignitas est vel generalis, vel Specialis. Generalis est eminentia alicujus personæ propter virtutem. Dividitur illa, in Majorem & minorem. Major est dignitas cum magno & excellenti, tam gradu virtutis, quam numero illorum quæ dignitatem illam merentur, conjuncta. Et iterum est vel Honor, vel Gloria. Honor est dignitas quæ à Viro prudente & virtuoso per certa signa magnâ cum reverentiâ exhibetur illi, qui multis meritis atque excellenti
vir-

virtute in Republ. fulget. Non autem hîc Honor latè & generaliter, prout gloriam, laudem, famam, omnemque dignitatem sub se comprehendit, sumitur, sed pro signo interioris affectionis erga virtutem excellentem. Gloria est dignitas qua ob excellentem virtutem, tam vivorum quam mortuorum nomen & facta celebrantur. Quoad genus, Finem atque objectum gloria & honor conveniunt, uti ex definitione constat, quoad subiectum autem, externum signum, locum & tempus differunt: Quoad subiectum Honor tam bonis quam malis tribuitur, gloria non idem, sed bonis tantum. Quoad signum externum, Honor propriè in gestibus & signis externis consistit, ut sunt: capitis denudatio, genuflexio, manus deosculatio &c. Gloria non tantum fit verbis & gestibus, sed etiam scriptis; quoad locum & tempus, Honor certo loco & præsentis tempore exhibetur: Gloria vero nullis locorum spatiis circumscribitur.

§. XI. Minor dignitas est, quæ alicui tribuitur propter gradum virtutis minus excellentem; Estque laus & bona fama. Laus est dignitas propter virtutem etiam minus excellentem à paucioribus tributa. Differtque iterum à gloriâ tribus modis. 1. Quod laus minorem contineat virtutis gradum; Gloria vero majorem 2. quod laus sit propter unam etiam virtutem; gloria vero propter multas. 3. Denique quod laus sit posita in voce pauciorum vel unius tantum; gloria vero in plurimorum. Bona fama est dignitas, quæ alicui ob mediocrem virtutem & vitæ integritatem tribuitur. Hanc etiam inter bona & dignitates numerandam esse omnes sanioris mentis Philosophi recte docuerunt. Hinc Plautus Mostel. Act. I. Sc. 3. v. 71. Ego si bonam famam mihi servassio, sat ero dives. & Cic. lib. 3. de Fin. Est hominis ingenui & liberaliter educati, velle benè à parentibus à propinquis à bonis veris audire.

§. XII. Restat ultimò dignitas Specialis, nempe nobilitas; quæ est dignitas certis familiis, ob virtutem præsertim bellicam à Persona jus majestatis habente collata. Non nulli quoque hîc ad dignitatem Specialem referunt
gra-

Itter. lib. 1. c. 2. Synops. Philosoph. Moral. p. 39. gradum Academicum, qui est dignitas ab Academia, vi potestatis à Majestate concessæ, ob virtutem intellectualem merentibus collata. Sed vestigia Excellent. Dn. D. Wendeler. legens, gradum hunc Academicum meum non facio. Hæc sufficienter de nobilitate, in quæst. de eadem prolixius.

§. XII. Vel in Personis. Personæ i. e. Amici, qui mutua ac manifesta benevolentia, ob bonum, honestum, jucundum, vel utile se prosequuntur. Hinc amicitia ratione objecti, dividitur in honestam, jucundam, vel utilem. Sola honesta amicitia perfecta & propriè dicta est, hancque sectantur probi & virtuosi viri; Posteriores verò duæ amicitia veræ ac propriè dictæ species amicitia non sunt; sed tantum per Analogiam & similitudinem ita dicuntur. Jucunda amicitia in adolescentibus & juvenibus potissimum deprehenditur. Utilis verò maximè inter Mercatores amicitiam lucri causa foventes, existit. Tantum de Præcepto, sequitur.

Membrum II. Continens Quæstiones,

Quæst. I.

De Libertate.

An omnes homines sint liberi, an verò detur servitus naturalis?

Non levis momenti hic inter Jctos & Philosophos oriri videtur disceptatio. Jcti enim dicunt, nullam dari servitutem naturalem, sed omnes homines nasci liberos. Philosophi verò, quandam servitutem naturalem dari, tribus potissimum hisce probant rationibus: I. *Ex nature ordinatione*, quæ non deficit in necessariis. Quare & Domino naturali, & servo prospexit de mutuo adjutorio, ita ut neuter sine alterius auxilio esse possit, Domino enim prudentiam & rationem dedit, qua sibi prospiciat & servo, servo autem animum &

cor-

corpus ad ferendos labores. 2. *Ex insequente.* Cum enim servi naturales natura sibi prospicere non possunt, & opus habeant ope aliorum, qui ipsorum curam gerant, necessario sequitur, Dominis quod destituti, in paupertatem incidant. Exemplum ejus rei habemus tempore Constantini M. Cum enim Pontifices Ecclesiarum illo tempore manumittendis servis certarent (sicut de Paulino Noix Episcopo historiae Africanæ memorant, quod corporis sui pretium liberandis servis impenderit) tanta oborta fuit mendicorum, qui que ex propria prudentiâ se nutrire nesciebant, multitudo, ut rogatione Pontificum Xenodochia, Nosocomia, & id genus alia Hospitalia coacti fuerint Imperatores ædificare, quò mendicis regiones levarent: & Valens edicto vetuit, ne quisquam sine labore ostiatim stipem quæreret, sed in servitutem retraheretur. 3. *A simili.* Quemadmodum natura fecit distincta corpora hominum alia robustiora, alia minus robusta; Ita quidam homines generantur ingenio præstantiores aliis, quidam minus. Ex his apparet, quosnam Aristot. naturâ servos vocat, nempe eos, qui pro impotentiâ mentis, familiam non regere, nec cum consilio se sustentare possunt. Non autem vult, eos actu servos esse, sicuti Jcti accipiunt servitutem, quando naturâ servos vocant, qui ex Ancillis nascuntur. Hi enim actu servi sunt. Sed ejus sententia accipienda est in eum sensum, quo Plut. in Pelop. ait: Pelopidam naturâ Imperatorem fuisse, non quod talis fuerat natus, sed quod prudentiam regiam à naturâ habuerit. Multò uberius hanc Materiam explicant Arnis. lib. I. Polit. c. 3. p. 41. & c. 3. sect. 3. p. 53. Mynsing. in §. Jus autem Gentium &c. num. 9. de I. N. G. & C.

Quæst. II.

An Divitiæ rectè numerentur inter res indifferentes, quæ per se neque bonæ neque malæ sunt?

De Divitiis.

Hic primò disquirendum est, in quibusnam potissimum divitiæ consistant? Apud Veteres & imprimis apud

B

Pa-

Patriarchas, Abrahamum & Jacobum Divitiæ in agris & pecoribus maximè consistebant. Strictius vocabulum Divitiæ sumtum denotat nummos vel pecuniam, quæ aliàs appellantur Artificiales, uti in §. 8. dictum est; Latius verò omnia, quæ homo in terra possidet, denotat, & dicuntur Naturales. Plura de his vid. apud Excellent. Dn. D. Wendeler. l. 1. Phil. Pract. sect. 1. c. 3. quæst. 2. p. 118, quicquid autem sit, quæ rere hîc libet, an Divitiæ sive sint naturales, sive artificiales, rectè numerentur inter res indifferentes, quæ per se, neque bonæ, neque malæ sunt? Ad quod Resp. Dist. inter bonitatem transcendentalem, & moralem. Ratione prioris si spectes, quia Entia sunt, & DEI insignia dona generi humano concessa, etiam sua bonitate gaudent. Sacræ enim literæ disertè divitias vocant Donum DEI Prov. 10. Benedictio Domini divites facit. Si autem ratione Posterioris consideres, per se neque bonæ neque malæ sunt, postea tamen, vel bonæ vel malæ evadunt; Bonæ, si in legitimo usu inveniuntur, malæ, si in abusu attenduntur. Hinc Sen. in Epist. 108. inquit: Divitiæ non nisi cum honestè administratæ sunt, bonæ esse incipiunt. & Plaut. Talia hæc sunt, qualis & is, qui utitur.

Quæst. III.

Cur Avarorum hominum inexplebilis ferme sit cupiditas, ita ut nec sibi ipsis benefaciant?

Tria communiter Avarorum constituuntur genera. I. Illorum, qui vix mucido pane, lardo subrancido vappaq; vitam tolerantes, suumque ipsorum genium defraudantes, nec sibi nec aliis quicquam profunt. 2. Illorum, qui quidem aliis subveniunt, sed rarissimè, & paucissimè. 3. Illorum, qui per fas & nefas magnos pecuniæ acervos corradentes, nihil vel somniant, vel cogitant quam pecuniam. Cui vitio maximè quondam dediti fuerunt Spartani teste Cic. l. 2. Offic. Nullum vitium est tetrius, quàm avaritia, præsertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus. Habere enim quæstui Rempubl. non modò turpe est, sed

sce-

sceleratum etiam & nefarium. Itaque quod Apollo Pythi-
us Oraculo edidit, Spartam nulla alia re, nisi avaritiã esse
perituram, id videtur non solùm Lacedæmoniis, sed & o-
mnibus opulentis populis prædixisse. Quos tamen omnes
superat Euclio ille Plautinus Aul. Act. 2. Sc. 4. qui aquam
plorabat effundere, & unguium præsegmina domum refe-
rebat. De his est nostra quæstio instituta. Ad quod Resp.
Ejusmodi homines in divitiis summum hujus vitæ bonum
collocare, ideoque ex earundem possessione & assiduâ
contemplatione mirâ quadam voluptate perfundi. Pro-
pterea eas augere, noctu diuque laborant, ne vel fictitiam
felicitatem, vel imaginariam voluptatem diminuunt, ac
planè tollant. Casel. disp. 2. System. Eth. p. 51. cum quo con-
gruit illud Poëtæ:

Si plueret Polus, & Pontus si funderet
aurum, (pido
Esset avarorum, tamen insatiata cu-

Quæst. IV.

An defunctis competat honor?

*De Hono-
re.*

Multi olim & præsertim Ethnici, nullum planè ho-
norem & ne sepulturam quidem mortuis tribuendam
esse censuerunt. Parthis sepultura vulgò canium aut a-
vium laniatus erat, nuda demum ossa terrâ obruebantur,
Justin. lib. 41. & Theodor. Philos. dixit: Nihil in-
teresse supra terram an infra terram putrescat. Barba-
ris hoc in more positum olim, ut sepulturam susque deque
habuerint. Sed impia atque inhumana hæc est senten-
tia. Corpus enim quod Spiritus Sancti fuit habitacu-
lum honorificè terræ mandandum; Sanè Philippus ille
Macedonum Rex licet Ethnicus bello consumptorum A-
theniensium corpora sepulturæ reddidisse, tradit Justin.
libro 9. Multò potius nos Christiani sepulturam hone-

stam magni æstimemus. Duplici autem honore nempe
1. Honestâ sepulturâ. 2. Honorificâ eorundem recorda-
tione & commendatione defunctos esse tractandos, sta-
tuit Timpl. libro 1. Philosoph. Pract. cap. 2. quæst. 9. pag 95.
Sed instant quod potius fama, quam honor tribuendus sit
defunctis. Ad quod Respond. hoc verum esse, quod fa-
ma magis sit propria defunctorum honor viventium :
At quemadmodum etiam viventibus fama competit, ita
non inficiari potest, etiam defunctis honorem compete-
re. Piccol. grad. 8. cap. 31. pag 683. quid autem de Pon-
tificiorum in mortuis honorandis superstitione sit ausen-
dum, Theologis judicandum relinquo ?

Quæst. V.

An honorem suum defendere liceat?

Multi reperiuntur, qui ob quodvis verbum minus
gratum illicò ad duella proruant, famam & honorem non
minus ac vitam gladio defensuri. Sed hi Honorem neu-
tquam defendunt, sed propriam potius exercent vindi-
ctam, quæ simpliciter est prohibita. Peccant enim 1.
Contra legem divinam. 2. Rectam rationem. Cum ni-
mirum sit actus contrarius 1. Justitiæ. 2. Fortitudini. 3.
Mansuetudini. 4. Modestix, de quibus plura disserit Itter.
libro 1. Synopf. Philosoph. Moral. cap. 2. quæst. 5. pag. 33.
Quemadmodum autem hi in excessu, ita & aliqui peccant
in defectu existimantes, parum referre, quid de ipsis alii
loquantur vel sentiant, modò honestam vitam ducant, &
actionum bonarum conscientiam obtineant. Sed hi,
uti dictum, mediam quoque non observant viam. Vir
probus enim, honorem suum meritò defendere debet.
1. Quia honor est signum virtutis. 2. quo absente, fama
nostra periclitaretur, quæ tamen pari passu cum vita am-
bular. 3. Infamix contrariatur. Vid. Casel. disp. 3. System.
Eth. quæst. 23. pag. 84. Et licet viro probò teste Piccol.
grad. 8. c. 33. pag. 692. satis esse potest, ut constet, se injuriã
la-

læsū fuisse, cum ab altero injuriā affectus, non honore
privetur, sed potius ille, qui injuriam intulit, ignominia
revera dignus sit, dum à justitiā recessit. Si tamen inju-
riæ graviores, quæ omninò vindicandæ nec negligendæ
sunt, ad Judicem confugere debet, pro emendatione de-
linquentis & salute legum. Reipublicæ enim interest, ut
leges observentur, & impunita haud maneant delicta.
Vid. Cit. Piccol. loc. cit.

Quæst. VI.

*An filius in dignitate publicâ constitutus Patrè
privato præferendus?*

Licet filio superiori sive in dignitate constituto, Pa-
rentem non quidem contemnere Syr. c. 3, 4. Sed tamen
præcedere, scilicet in Publ. negotiis. Rationes potissi-
mum duas profert Casel. disp. 3. System. Eth. quæst. 21. pag.
93. 1. quia Filius Magistratus præfectus est toti Reipubl.
E. etiam Parenti tanquam parti. 2. Diminui videretur
authoritas personæ publicæ, si subditus Magistratui &
membrum capiti præferatur. Hoc benè intellexisse vi-
detur Fabius Consul, qui Patri ad se in castra venienti,
non tantum non assurrexit, sed ut ex equo descenderet,
clamavit. Intelligebat enim se esse Consulem, vid. Liv.

Quæst. VII.

*Cur honorem alicui exhibitori, caput
aperiamus?*

Quia Honor, test. Plut. Charon. probl. 11. Est splen-
didum quoddam, illustre ac apertum. Adde, quod sit
judicium & signum virtutis. Capite autem judicamus, &
cordis cogitata proferimus. Insuper nuditas est signum
humilitatis, ideoque superam partem detegentes, caput
inclinamus Piccol. grad. 8. cap. 31. p. 685. Casel. disp. 3. Sy-
stem.

Item. Eth. quæst. 17. p. 92. Causam quoque hujus rei aperit Cœlius Rhodig. l. 11. c. 12. Divinissimo, inquit, in nobis membro divinitus enitescentem in aliquo præstantiam reverenter & religiosâ quadam observantiâ excipere, congruentissimum fuisse arbitror; quando non corporeâ, non fluxâ & instabili nostri parte cœleste donum honore prosequimur, sed mente, quæ in summo capite collocata, tanquam in arce sublimi speculatur omnia & intuetur.

Quæst. VIII.

Utrum divitiæ nobilent?

De Nobilitate.

Multi ex Veteribus affirmativam amplectentes sententiam aut divitias nobilitatem esse, aut certè nobilitatis Speciem. Hin: Plut. in l. cont. nob. ait: quid aliud nobilitatem esse putamus, quam opes antiquas aut veterem gloriam? Et Eurip. in *Æol.* Nobilitatis mentionem amabo ne mihi feceris. Hoc enim in pecuniis situm est. Sed hi omnes à verò aberrant scopo. Non enim solæ divitiæ nobilent, quia etiam in turpes & infames cadunt personas, quibus tamen portæ honoris sunt clausæ; sed sola virtus sive togata, sive bellica est causa virtutis. Lanfius orat pro Germ. pag. 1141. Nobilem ita describit inquit; Olim nobilis erat, qui vel ipse splendorem & prærogativam illam intulerat infamiam, vel majorum imagines novis meritis exornaverat: Nemo facile nobilitatis nomen sine virtutum satellitio gerebat. Ita Nobilis simul erat, fortis, prudens, temperans, mansuetus, affabilis, humanus. Sed hodie, da hominem majorum virtute & dignitate celebrem, cœtera Bucconen, Blennum, Fastuosum, Bardum, Asinum; & tamen eundem Strenuum & Nobilissimum appellitari audies. Hæc Lanfius. Nihilominus tamen decus & splendor propter divitias accedit nobilitati. Cum quo congruit illud Curtii Jcti in tract. de Nobil. Sicut fides sine operibus mortua est, ita & nobilitas sine divitiis. Disting. itaque cum Liebenth: censeo, inter causam essentialem, quæ est virtus

tus : & accidentalem, quæ sunt divitiæ. Arnif. l. 1. Polit.
cap. 12. pag. 121. Liebenth. Exercit. 10. Colleg. Polit. quæst.
p. m. 263.

Quæst. IX.

*An nobilis genere, nobili virtute sit præ-
ferendus?*

Pro utraque parte, multas proferunt rationes Poli-
tici inprimis statuentes. Nobilem virtute præferendum
esse nobili genere, idque potissimum probant ex funda-
mento nobilitatis; quod est sola atque unica virtus, uti
ex præcedenti quæstione constat. Hinc Histiens: Nobilita-
tem generis vocat nobilitatem stercoris, & Galen. illam
comparat numismati, quod in suâ tantum Republ. valet,
in alienâ adulterium est. Virtus autem non in uno lo-
co, sed ubique Nobilem facit. Cum quo consentit illud
Juvenal. Satyr. 8.

Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Quis fructus generis tabulâ jactare capaci,
Famosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? —

Sed hæc omnia dicta sunt de Nobili genere qua tali,
propterea cum distinctione hîc erit respondendum. Nam
si Nobilis genere a Parentum virtutum deficiat, suapte
culpâ genere cadit, genus ingenuum improbat, Nobilis
virtute meritò est præferendus, quia & in se commen-
dabilior est, & plus prodest Reipubl. Si verò Nobilis
genere imitetur virtutes parentum, & studio virtutis au-
geat atque perficiat suam Nobilitatem, Nobili virtute
longè est præferendus. Plura vid. apud Arnif. l. 1. Polit.
cap. 12. pag. 123 Liebenth. Exercit. 19. Colleg. Polit. quæst.
6. Timpler. l. 7. Polit. c. 3. quæst. 9.

Quæst. X.

De Amicitia.

*Quæst. X.
An Felix egeat amicis?*

Felicem opus habere amicis, non solum Aristot. l. 8. Eth. ad Nicom. c. 1. Inquiens: absque amicis vivere nemo expetit, cœtera omnia bona habens, sed & omnes ferè Philosophi statuerunt, tres potissimum rationes adducen-tes: quia 1. Felix sine amicis virtutes exercere nequit. 2. Debet omnibus abundare bonis, quibus etiam annu-merantur amici. 3. quia est animal sociabile & à mo-nasticâ vitâ abhorret. Distinguendum tamen hic est, inter Felicem Practicum, & Contemplativum. Ille a-micis maximè eget, hic verò, non tam exactè his opus habet. Hinc Plato in Lys. Bonus ut Bonus est sibi satis, qui sibi satis, aliud non expetit, alioqui non eget, quare non eget amicis. Vid. Excellent. Dn. D. Wen-deler. l. 1. Philosoph. Pract. sect. 2. cap. 13. quæst. 1. pag. 484. Casel. disp. 2. System. Eth. quæst. 26. pag. 96.

*Quæst. XI
An inter inæquales, possit esse vera & per-
fecta amicitia?*

Materia seu Objectum amicitia sunt homines
1. Pauci iique optimi. 2. Æquales, ut amicitia sit reci-proca. Æqualitas autem illa consistit, vel in dignitati-bus, vel in divitiis, vel in officiis, vel in ætatibus, vel in moribus, inter quas tamen species omnes optima est æ-qualitas morum, juxta verbum:

Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosum.

Hinc quæritur, an inter æquales vera & perfecta possit consistere amicitia? Ad quod Respond. Disting. inter amicitiam veram, & undiquaque perfectam. Po-tentiores enim cum tenuioris fortunæ hominibus vel u-tilem vel jucundam tantum colunt amicitiam; Quærun-
ad

ad jucunditatem, quibus utantur faceros, ad utilitatem laboriosos, & ad expedienda, quæ imperantur solertes. Vid. Syrac. cap. 13. Huic adstipulatur Ovid. lib. 3. Trist. 4.

— Amicitias & tibi junge pares.

Quæst. XII.

An inter diversæ religionis homines Amicitia iniri & consistere possit?

Quatuor vulgo constituuntur amicitia genera: Civilis, Naturalis, Moralis, & Spiritualis. Civilem & Naturalem amicitiam, non planè tollit fidei dissensio, ubi tamen cautè procedendum, ne cum iniquitate & idololatriâ ipsorum communemus, sed ab omni simulatione absteineamus, nec justò crebrius cum iisdem conversemur, nisi urgente necessitate & seriò illos convertendi proposito. Spiritualem autem amicitiam prorsus evertit religionis dissensio, & hæc tantùm consistit inter fideles, qui in fundamento & Principalibus fidei articulis consentiunt. Sed de Amicitia morali propriè hîc instituta est quæstio. Ad quod Respond. Disting.: inter homines diversæ religionis, Christianos nempe & Paganos. Hos ut impios, blasphemos & manifestos veritatis hostes removemus, & prorsus segregamus. Christiani vero iterum sunt duplices, vel Orthodoxi vel Heterodoxi, hi iterum vel sunt Seduciores & Hæresiarchæ: vel Seduci. Illi ex malitiâ, hi verò ex ignorantia & infirmitate errant, ideoque cum his Moralis amicitia aliquàlter coli potest: Cum illis verò nulli Orthodoxo amicitiam inire licitum est. Vid. B. Doct. Meisn. Philos. Sobr. Part. 1. sect. 2. c. 3.

C

Mem-

Membrum III. Continens
AXIOMATA.

Axioma I.

Honores appetere licet.

Ratio est, quia Honor est præmium virtutis. Virtus autem est bonum quid, E. & honor. Non autem nimis sunt appetendi, quod excessum denotat, & virtuti repugnat, sed modicè, cum illa non nisi in medio consistat.

Axioma II.

Propria laus sordet.

Non tantùm apud JCtos illi in specie prohibentur testes esse, qui in re propriâ testimonium perhibere volunt (Laus enim propria nihil est aliud quam hominis alicujus de sua ipsius virtute testimonium) sed etiam Christus ipse Joh. 5. ait; Si Ego testor de me ipso, testimonium meum non est idoneum; potest tamen absque turpitudine aliquis se ipsum laudare, si calumniæ aut accusationis depellendæ gratia hoc faciat, cum deprecatione invidiæ, jactantiæ.

Axioma III.

Paupertas non tollit nobilitatem.

In quæst. VIII. Demonstratum est, nobilitatem non consistere in divitiis, E. sequitur paupertatem quoque illam tollere non posse. Deinde Paupertas virtutem non evertit, E. nec nobilitatem, in qua ceu fundamento nobilitas consistit. Exemplo nobis est Epaminondas Thebanus tot victoriis clarissimus, divitiarum abstinentissimus, quòd unica veste fuit contentus; cum verò attritam resarcire necesse haberet, domi
se

se eò usq; continuit, nec tamen eò ignobilior fu-
it. Plut. in Epamin.


Axioma IV.

Vera amicitia in rebus adversis maximè probatur.

Pauci admodum in rebus adversis constan-
tes atque fideles permanent, quod testatur Plaut.
Stich. Act. 5. Sc. 1. vers. 16. inquit: Ut cuique
homini res parata est, firmi amici sunt: si res la-
bat: itidem Amici collabascunt. Res amicos inve-
nit. Cum quo congruit, illud Ovid. lib. 1. Trist.
Eleg. 4.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum juvat, & vultu ridet fortuna sereno,
Indelibras, cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.

T. Θ. Δ.



Ad

*Præstantissimum & Literatissimum Dn.
Respondentem, Amicum hono-
randum.*

Publica dum Sophies conscendis pulpita, mon-
strans

Perspicuè, *Summum* quid sit in orbe *Bonum*,
Illius & quæ sint semper comitantia vera:
Ausus ex animo gratulor egregios.

f.

*Christophorus Nottnagel.
P. P. h. t. Coll. Phil.
Decanus.*

Ad

Ad
Humanissimum Dn. Resp. Amicum
meum dilectum.

BEinradius noster scripsit, plaudente Minerva
Et monitu Phæbi dogma thesing, suam.
Hujus & istius dextrâ respondeat idem,
Accinat ut socio plebs studiosa suo.

Michael Wendelerus.
D. & P. P.

Ad Præstantissimum ac Politissimum
DN. RESPONDENTEM

Fautorem ac Commensalem honorandum.

QVæ sumum, Beinrade, bonū comitentur ad unguem
Eucleas Genii dona probando Tui.
Hinc Te summus honor, credo, comitabitur olim
Implebunt ædes & bona summa Tuas.

P R Æ S E S.

Ad Præstantissimum Politissimumque
DN. Respondentem.

Sunt bona divitiæ Cræsi, mentisq; voluptas
Tranquille reliquis connumeranda bonis;
Corpore cum sano integra vis, quam nulla potestas
Impedit, & notus multipotentis amor:
Nec temnendus honor, peperit quem plurima virtus:
Exuperat Rectè vivere cuncta tamen,
Hæc animo tecum, Beinradi docte, volutas,
Una proinde Tibi Vivere cura benè est.
Maestè isthoc studio, quod cætera cuncta sequentur
Civili in vita, quæ - bona - cuncta cluent,

l. mç; f.

M. Johannes Simon. Fac. Phil.
Adj. & Sch. Opp. ConR.

✻ (o) ✻



05 A 196

ULB Halle

3


004 206 959



W 197







Q. D. B. V.
Ex
ETHICIS
De
BONIS S.B.
CONCOMITANTIBUS.

SUB PRÆSIDIO
VIRI
Præclarissimi ac Præeximii,
DN. M. JOHANNIS MICHAELIS
STRUBBENSIS /

Amplis. Facultatis Philosophicæ Adjuncti lon-
gè meritissimi.

*Præceptoris, Fautoris & Amici sui colen-
disimi,*

Publicè disputabit
JOHANNES BENNARD /
Dreldensis Misnicus.

A. & R.

In Auditorio Majori ad d. Junii
Anno O. R. M. DC. LXI.

WITTEBERGÆ, TYPIS MATTHÆI
HENCKELII